



1. Rous /: Joh. Reinh. / diff. de serpente se-  
ductore non naturali sed solo diabolico  
iend 1712.
2. — diff. de vario Mosis in Montem Sinai  
ascensu, iend 1716.
3. — diff. de judæa reburgetis et  
miraculis Christi clara iend 1733.
4. — diff. de veris Petatoris Jesu Christi  
requisitis, iend 1733.
5. Rurmeyer /: Mich. Christ. / diff. de Aara-  
ne, viro sancto, tribus Levi, typo  
Christi, Gryphisw. 1738.
6. Bauerbreij /: Joh. / diff. de Deo uno et  
trino 1648.
7. Schackeri /: Jac. / diff. de septem Spi-  
ritibus a Joh. Theologo celebratis  
Lipsiæ 1736.
8. Schelzuigg /: Sam. / diff. de dono fidei  
justificantis, 1739.

9.24 25  
PSALTES PROPHETA  
DE  
A V S P I C I I S  
E C C L E S I Æ  
N O V I T E S T A M E N T I  
A D P S A L M V M X I X.

---

PRÆSIDE  
JON. CONR. SCHRAMMIO  
THEOL. D. ET PROFESSORE PVBL.  
ORDINARIO

RESPONDENTE  
GEORG. JACOB. REDECKERO  
OSTERODA-HANNOVER.

IN ACADEMIA JULIA  
A. MDCCXXVII. D. XXIII. IVL.  
DISP. THEOL.

ILLVSTRATVS.

---

HELMAESTADII  
LITERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

PSALTER PROPHECIA

DE

AVSPICIS  
ECCLESIAE  
NOVI TESTAMENTI

NO 22 JANUARIUM XIX

PRÆSIDI

JON. CORR. SCHRÄMMIO

THEOL. D. ET PROFESSOR. PUBL.  
ORDINARIO

RESPONDIT

GEORG. JACOB. REDDICKERO

ORDIN. HANNOVER.

IN ACADEMIA JULIA

A MDCCXXVII. D. X. JUN. IUL.

THEOL.

LIBRARIUS


HELMSTEDT

THEOL. PUBL. D. THEOL. SCHRÖBER  
ACAD. TYBOG.





§. I.



**A**D intelligendum Psalmum XII. vel ob divisionem Ps. IX. apud Hebræos, XIX. scire, opus est, quod non quidem repugnet, priorem ejus partem explicare de *Regno Natura*, hoc est, de Operibus illis, quæ Deus per Naturam inde à primâ Creatione produxit, prout illa nos in Cognitionem Dei Naturalem introducunt. Vetères Judæi vocârunt כעשה בראשית *Opus Creationis*, quod Mosi sub initium Historiæ suæ propositum fuerit; & ex his RASCHI ad v. 3. Hinc est, quod nec Theologi nostrates, nec Patres quoque reprehendi possint, qui ad ostendendam Notitiam Dei Naturalem, eamque universalem, initium hujus Psalmi allegare solent. Et sic quoque exponunt Interpretes Judæi, RASCHI & ABEN ESRA, ideò non reiiciendi. GESNERVS adducit BASILIVM, in Homil. super Principium Proverbior. Salomonis, primum versum hujus Psalmi allegantem, & ita in eum commentantem: *Natura rerum, etsi vocem non emittit, tamen* σιωπῶσα βῶα τοῦ ἐαυτῆς κτισθῆναι καὶ κύριον, ἵνα δι' αὐτῆς ἀναδείξῃς ἐπὶ τὴν ἔνοικον τῆ μαρτυρίας σοφῆς, *tacens clamat Creatorem suum, ut per ipsum recurras ad cognitionem ejus, qui solus est sapiens.* Adde loca parallela Rom. I. 20. Ef. XL. 21. sqq. Job. XII. 7. 8. 9.

A 2

§. II.

## §. II.

Cum verò Paulus *Rom. X. versum 5.* hujus Psalmi acceperit de Prædicatione Evangelii ab Apostolis per totum terrarum orbem promotâ, nos quoque Psalmum cum Apostolis, Patribusque, & Theologis melioribus, non possumus non de *Regno Gratiae*, quod & *Regnum Cælorum*, *Matth. XII. 23.* juxta stylium S. Scripturæ, imprimis Novi Testamenti, exponere. Verba Psalms v. 5. sunt: *בכל הארץ יצא קום ובקצה תבל מליהם: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sic enim LXX. vertunt קום per Φόγγος αὐτῶν, *sonus eorum*; ex quibus PAULVS citat verba. Cum his etiam convenit SYMMACHVS: ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν *exiit sonus eorum.* Etiam si AQUILA: ὁ κωνῶν αὐτῶν, *regule ipsorum.* Sermo est de Corporibus, cum Superioribus in Cælo, tum Inferioribus in Firmamento, diffitis, item de Diebus inde enatis, & se invicem perpetuo ordine subsequenter. PAULVS igitur, qui de Regno Cælorum disserit, & de Evangelii per illud Propagatione, *Rom. X. Ne dixeris, inquit, in corde tuo, v. 6. sqq. quis ascendet in Cælum? id est, Christum deducere.* --- *Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum Fidei, quod prædicamus.* --- *Non enim est distinctio Judæi & Græci.* --- *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergò invocabunt, in quem non crediderunt? & quomodo credent ei, quem non audierunt?* --- *Sed dico: Numquid non audierunt?* *Μενέ γε εἰς πάντα τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ Φόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οὐρανόθεν τὰ ῥήματα αὐτῶν.* Imò verò in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quæ sunt ipsa verba LXX. Interpretum. Quo sensu ergò Apostolus inceperat à Cælo discursum v. 6. eodem quoque pergit *Cæli vires*, per *Gratiam Divinam* propagatas, & in *Verbo Fidei* maximè efficaces, enarrare.

§. III.

## §. III.

Consentiunt quoque de hoc sensu Judæi, dum sibi non sumunt, Christianis repugnare. Non jam allegabimus, quod illi, ut LYRA annotavit, principium Psalms de Promulgatione Legis in monte Sinai, & sic de Gratiâ Dei, acceperint, juxta GESNERVM, ad hujus Psalms init. Nec inhærebimus sententiæ Rabbi MOYSES, cujus meminit THOMAS in Prim. Nocturn. ad hunc Ps. v. 1. quasi Cæli qui enarrant gloriam Dei, sint Animalia Materialia. Quò pacto non repugnaret, his includere ipsos Apostolos. Sed id (I) solum observabimus, quod ABEN ESRA notat ad v. 8. *Lex Domini perfecta, convertens animam; כי התורה חסיד הספק מוחפש*: quia *Lex aufert ab animâ dubium*. Hoc verò à Lege solâ MOYSES non æquè, quàm à Lege Messia expectari posse, ipsi fatentur Judæi, & RAYMUN- DVS in Pug. Fid. p. 693. ubi hunc locum adducit, pluribus notavit. Quod si ergò potius illa Lex Messia est, de Messia in hoc Palmo sermo erit, & de Evangelio, quæ est illa *Lex Fidei*, de quâ Paulus Rom. III. 27. vel *Lex Spiritus*, Rom. IIX. 2. *Christique Jugum*, Matth. XI. 29. vel *Doctrina Novi Testamenti*, de quâ Es. II. 3. Mich. IV. 2. Hæc enim illa Lex est, qua Animam restituit, Matth. XI. 29. nosque liberat à Lege Peccati & Mortis, Rom. IIX. 2. certosque reddit, v. 38. cum Lex MOYSES sola potius iram operetur, Rom. IV. 15. terreatque, Hebr. XII. 21. & maledicat, Gal. III. 10. Porrò etiam (II) è Commentario RASCHI ad v. 6. notandum est, quod ille de Sole, è thalamo suo exeunte, scribit, respicere Psaltem his verbis ad v. 1. ubi fit mentio Majestatis ac Gloriæ Divinæ. Verba ejus sunt: *התורה כחתן וצא מחופתו ככל בקר התורה שאמר השמים מספרים כבוד אל*: *Et ille exit, sicut sponsus è thalamo suo. Nempe singulis diebus. Hoc enim est, quod dicitur: Cæli enarrant*

*narrant Majestatem Dei. Scilicet Chuppa, seu Umbraculum, semper, si de Cœlestibus sermo est, signum ipsius Præsentia ac Majestatis divinæ esse solet; ideòque Filio Dei potius competit, quod ex hoc umbraculo prodierit, quàm Soli; ut paulò post ex Annotatis ad hunc vers. constabit. Quibus adhuc (III) meritò accedere debet, quod ad v. 8. commentatur idem autor. Verba ejus sunt: דבר אחר: ואין נסתר מזמנו ליום הדין וליהי ארתה היום הבא אבל תורת יי' תמימה היא משיבת נפש לדרוכי היים ומגינה היא על לומדיה פארתו להט כמו שנאמר חררה לכן יראי שמי שמש צדקה פארתו וטרפא ורומ: *Alio quoque modo hæc explicare licebit. Et nihil occultum ab æstu ejus. Scilicet die judicii & flamma, qui dies futurus est.* (Nempè Messia, de quo Mal. IV. 1.) *Seu Lex Domini perfecta, animasque restituens, in vias vitæ, & protegens eos, qui illam didicerunt, ab istâ flammâ.* (Quæ est illa Lex Messia, de quâ paulò antes.) *Prout etiam de hac Lege ibi dicitur: (Mal. IV. 2.) Orietur vobis, nomen meum timentibus, Sol Justitiæ, & salus sub alis illius, &c.* Ex quibus facili negotio eliciendum est, exponere Judæos æstum Solis, ex hoc Psalmo, de Judicio illo, vel potius de Efficaciâ Verborum Messia, de quo Malachias l. c. & Solem ipsum, de Sole Messia, seu de ipso Messia, ejusque Lege. Plura, quæ id probent, suppeditat idem ad locum, è Malachiâ allegatum; cui addatur etiam A-  
BARBANEL ad h. l. sub fin.*

## §. IV.

Cum ergò nec Judæi ab illâ sententiâ alieni sint, quâ sensus Psalmi XIX. usque ad tempora Messia extenditur, Quæstio occurrit, nequaquam prætermittenda: Num Explicatio hæc Literalis sit, num verò Mystica, & in specie Allegorica? Multi Theologorum nostrorum ad *Allegoricam* confugere solent. Ipse D. LUTHERVS Tom. II.  
Jen.



Jen. Lat. f. 203. b. Cælos, firmamentum, solem, &c. Allegoricè oportet accipere, quibus jucundis involucris nos spiritus trahit ab hoc Visibili Mundo ad spectaculum Novi Mundi, in quo alii Cæli, noctes, dies sint, quorum in hoc Mundo Figuram & Umbram videmus. Utut cautelam addat: Cogit ergò nos hîc ipsa evidens circumstantia & consequentia doctorum, tum Autoritas N. Testamenti, Allegoriam apprehendere, quæ aliqui Tractatori Scripturarum fugienda est, quantum fieri potest, ne simplicitate sensus amissâ, vagetur in meris suis somniis. Sic enim sæpe dicimus, non licere in Scripturis Allegoriis ludere, (saltem in contentione,) nisi aliis Scripturæ locis evincatur Allegoria. Diximus autem in superioribus quoque, Spiritum solere aliquando verbis allegoricis uti, dum res quasdam allegoricas, ut sic dixerim, tractat. Sic & GESNERVS l. c. Multa sunt, & quidem pleraque in toto Psalmo, quæ obstant, quo minus principium hujus Psalmi simpliciter κατὰ τὸ ἔρῳ accipere possimus. Itaque necessitas hîc nos cogit, ad Allegoricum sensum descendere, relictâ Literali expositione. THOMAS distinguit l. c. ad init. Secundum Literam, inquit, refertur ad David, secundum autem Mysterium, ad Christum. Et paulò post, ad verba: Lex Domini immaculata; Psalmus iste secundum veritatem exponitur de Christo, quia Apostolus de hoc autoritatem ad Mysterium Christi Rom. X. inducit: In omnem terram exiit &c. nihilominus tamen, sicut Mysteria Christi representantur figuraliter quandoque in Figuris Veteris Testamenti, ita quandoque figuraliter præmonstrantur in Figuris Operum Sanctorum. Et ideo primò exponitur iste Psalmus quoad Figuram, secundo, quoad Veritatem. At Seb. SCHMIDIVS in Collegio Bibl. p. 77. Juxtâ Literalem Sententiam Davidem omninò initio Psalmi agere de Prædicatione Evan-

*Evangelii Apostolicâ, Paulumque juxtâ Literalem Sensem verba v. 5. citare, non tantum juxtâ accommodatum, pluribus propugnat. Cujus quoque sententiam amplectitur CALOVIVS Bibl. Illustr. ad h. l. nec nisi unicum hunc esse Scripturæ Sacræ sensum, pro hypothesi suâ tuetur.*

## §. V.

Quamquam ergò nos Allegorias, tam ab ipso Spiritu Sancto in Scripturâ suppeditatas, quàm in eam illatas, non negamus, atque è prioribus Argumenta quoque Demonstrativa desumi posse, affirmamus, hoc loco tamen in solo sensu Allegorico non subsistimus, nisi etiam id addatur, Evangelii Progressum *Sensu Prophetico* ab Hierosolymite prædici. Hic enim ille est, qui & in ceteris Psalmis Prophetis occurrit, ac retinendus est. Ceteroqui nihil esset, quod impediret, quo minus in Psalmo II. VIII. & XVI. Christum ejusque Majestatem & Officia per Similitudinem vel Allegorias adumbrari, cum Grotio, Calvino, aliisque similibus, concederemus. Et sic non primario, atque immediatè, sed secundario, aut per consequentiam vel accommodationem qualemcunque, Apostoli loca palmaria hinc citassent, nosque cum his eadem ratione citaremus. Sed hoc sensus Propheticus, qui unicus ac principalis esse debet, haud patitur. Itaque AMBROSIVS in Hexaëmero Libr. I. c. IV. non abs re initium Psalmi: *Cæli enarrant &c. dictum Propheticum* vocat. Et nos totum Psalmum, cum propter conjunctionem formularum, tum sententiarum, se invicem excipientium, Propheticum esse, supponimus. Ideoque etiam unum idemque Objectum habere Propheticum, juxtâ illud Matth. XI. 13. *Omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem; & Gal. III. 24. Lex Pædagogus noster fuit in Christo;* nec alteram par-

partem Naturæ, alteram Gratiæ describere effectus, necessariò hinc sequitur, multò minus Naturam immediatè, ac præcipuâ quâdam ratione, Gratiam autem velut per consequentiam saltem hinc elici posse. Hæc ergò via quasi media est, quâ nec opus erit, Theologos, qui sensum Literalem solummodò in hoc Psalmo obtinere, nec LUTHERVM quoque & alios nostrates deserere, qui sensum Allegoricum hic esse volunt præcipuum. Quisquis ex duobus fuerit, aut quocunque modo appelletur, sive Literalis, sive Allegoricus, dum Propheticus, ac proinde immediatè ac præcipuè intentus fuerit, ex utriusque partis consensu esse, atque appellari potest. Propheticum enim & Mysticum dicere licet, suoque modo Allegoricum. Eundemque etiam Literalem. THOMAS sensum alterum *secundum veritatem*, ac Spiritualem appellat, ut audivimus; alterum autem *secundum Figuram*. Hinc etiam, quod ad Psalmos præcedentes monuimus, & in sequentibus itidem monendum erit, non rejicimus Argumentationes, per Consequentiam inde deductas, v. gr. Davidem è Ps. II. 7. solari se potuisse, verbis: *Tu es filius meus*; è Ps. VIII. 4. quemvis nostrum suspiria ducere: *Quid est homo?* è v. 10. Ps. XVI. orare cum Davide: *Animam meam non derelinques in inferno*. Et sic ex hoc Psalmo XIX. si quis velit v. 1. sqq. Cursum Naturæ, & hinc ejus Cognitionem, ac tandem etiam ipsam Theologiam Naturalem probare, dummodò id haud fiat sensu Prophetico, quem maximè intendit Davides, sed figurato vel accommodato, facile ferre possumus. Benè CALOVIVS l. c. *Ut ergò Allegationi Apostolica sua constet vis ac veritas, neque tamen robur argumento decedat, quod ex hoc Psalmo ad asserendam Notitiam Naturalem Dei depromitur, utrumque illud conjungi potest, in explicando hoc Davidis Oraculo.* Et paulò post

p. 974. *Nec tamen peribit vis προτάσεως hinc supposita*, (ita nominat sensum figuratum, & ad Theologiam Naturalem applicatum,) *ac tacitè indicatae, à BASILIO autem atque AMBROSIO evolutæ, & à nostris Theologis utiliter ac solidè adversus Socinianos, pro θεωρησάτα naturali, adhibite.* Exemplum verò insigne est, quod idem pag. præc. è Psalm. LXXXIV, 4. adhibet ad hanc rem illustrandam, ut locus in specie Propheticus non sit, sed solum Mystico --- Allegoricus. Verba ibi Davidis sunt: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponit pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum.* Videmus ibi describi Tranquillitatem Ecclesiæ amœnissimam, non autem rem auctori esse æquè cum passere, aut turturibus! Nihilominus grata quies avium istarum tam ex hoc effato, quam ex ipsâ experienciâ & naturâ abundè constat. Unde liquet tandem scopus præcipuus & immediatus. Qui in Psalmo demum XIX. Propheticus est, cujus quoque Effatum v. i. *Cæli enarrant &c.* Naturæ vires simul corroborat.

## §. VI.

Constat tota res distinctius ex ipso *Objecto*, quod hoc loco Generale totius Psalmi constituimus, *Auspicia Ecclesiæ Novi Testamenti.* Ubi Part. (I) à v. 1. usque ad 7. describitur ipsa *Ecclesiæ Facies*; Part. (II) à v. 8. usque ad in. *Verbum Dei*, in illâ prædicatum. Et Part. (III) à v. 12. usque ad fin. *Examen Fidelium* juxtâ illud, in ipso *Davidis Exemplo* ac figurâ. *Titulum* verò præmittit v. 1. למנצח מזמור לדרור: *Pro Præcentore, Psalmus Davidis.* Quinam fuerint, & quàm varii Præcentores isti, exposuimus ad Pf. VIII. §. II. Hic ergò saltem notamus, Psalmos, qui ut hic XIX. inscribuntur simpliciter: *Pro Præcentore*; non additâ classe, in quâ fuerit, præcipuos videri, & à toto choro publicè decantatos. Germ. diceres: *für den Meister/* vel: *für den*  
Ca-

Capell-Meister; Autorem autem habere ipsum Regem ac Prophetam, Davidem, cujus nomen disertè præferunt. Nec enim causam videmus, cur id hoc loco negemus, aut 7 per Dativum reddamus, cum aliud nomen haud præfiguratur, ac contrà Davidi in genere Psalmi tribuantur Am. VI, 5. & ipse liber Psalmorum, Luc. XX, 4. Cumque in describendis Ecclesiæ Nov. Testamenti Auspiciis (1) initium facere videatur ab ipsâ Ecclesiæ Facie, non quidem hanc, ut occultam, aut sub modio positam, sed toti potius orbi manifestam, depingit. Utut enim Ecclesia ex aliâ parte Invisibilis sit, juxtâ illud II. Tim. II, 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus*; ex aliâ tamen parte, & prout ad eam vocandi sunt & congregandi cives in his terris, etiam omnibus cognitam esse, necesse est. Ita Christus Matth. V, 14. *Non potest civitas abscondi, suprâ montem posita*. Hinc verba Davidis v. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum*. Quibus & *Originem Ecclesiæ, & Ecclesiam ipsam, & utriusque Manifestationem* exhibet. Quantum (α) ad *Originem*, ea refertur ad *Cælos*. Hæc vox in Scripturis variis modis sumitur, de quibus FLACIUS in Clav. Scriptur. THOMAS, aliique nostratium, Patres secuti, Apostolos per Cælos & Firmamentum indicari volunt. At partem tantum Firmamenti, nec Cælum ipsum illi constituunt, sed Corpora Cælestia. Nos ergo hoc loco accipimus eo sensu, quo in N. Testamento sæpissimè appellatur Regnum Cælorum. Ita v. gr. Matth. III, 2. Johannes Baptista: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Ubi Regnum Cælorum, aut Cæleste, ipsam tum *acquisitionem justitiæ, aut remissionis peccatorum, renovationis, ac vite æternæ, Christi morte acquirende*; tum & *eorundem bonorum distributio-*

nem aut applicationem significat, quæ sunt verba FLACII, sub voce *Regnum*; Et huc referuntur quoque significationes illæ ab eodem Autore, sub voc. *Cælum*; cum Ef. LXV, 17. LXVI, 22. & Joh. XXI, 1. dicuntur *Cæli Novi ac Terra Nova* creari; item cum Phil. III, 20. *Nostra conversatio ponitur in Cælis, unde etiam Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Jesum Christum.* Et Luc. XVIII, 22. *The-saurus in Cælo.* Unde colligimus, per Cælos hoc loco nec Aspectabile illud, nec Majestatem quoque Dei in genere, sed in specie *Summam Dei Gratiam* erga *Homines*, ac *Beneficia* ejusdem *Cælestia*, tam *Spiritualia* quam *Æterna*, intelligi. Et hæc illa Cœlestis Christianæ Ecclesiæ Origo est, non Ars ulla vel Natura, vel Consilium denique humanum. Unde *Deus* non solum *Sanguine suo* eam *acquisivit*, Act. XX, 25. Sed &, postquam Christus ascendit iterum in cælum, unde venerat, *caput constitutus est Ecclesiæ*, Eph. I, 22. omniaque *disponit in ædificationem corporis sui*, Eph. IV, 12. Ipsa verò *Ecclesiæ* ( $\beta$ ) dicitur *Firmamentum*, Hebr. עִפְרָיִם. Quæ vox sumi solet pro Regione Aëris Inferiori, & interdum etiam Cælum appellatur, significato generali, ut Gen. I, 7. 8. Hoc loco verò eo nomine venit Ecclesiæ, cum quod à Cælis dependeat, iisque sit Inferior, tum quod latissimè sit extensa, instar expansi, denique quod omnia in eâ tam egregio ordine invicem connexa sint ac disposita, juxtà Eph. IV, 16. ut instar domus benè fundatæ perpetuò constet, vi promissionis Christi Matth. xvi, 18. Hinc Paulus eam sic vocat I. Tim. III, 15. *Ut scias quomodo oportet te in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesiæ Dei vivi, Columna & Firmamentum veritatis.* Tandem autem ( $\gamma$ ) utriusque succedit *Manifestatio*. Scilicet videntur, dum loquuntur de Fine suo, eumque sollicitè commendant. *Cæli nempè* (1) cum ipsi apparent, juxtà illud Tit. II, 11. *Apparuit Gratia Dei*

*Dei, Salvatoris nostri, omnibus hominibus; vergunt sursum, & extollunt Gloriam Dei.* Hæc enim in omnibus quidem negotiis nostris etiam per Naturam intenditur. Sic I. Cor. X, 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in Gloriam Dei facite.* At longè illustriori ratione per Gratiam Dei, ejusque Magnalia, conspicienda est, de quibus Act. II, 11. Proinde GESNERVS ad v. 3. *Propheticè prænnunciari insigne illud miraculum, editum in festo Pentecostes, l. cit.* Addimus, hoc sensu etiam Christum Gloriam Dei Patris Joh. I, 14. item Splendorem Gloriæ & figuram substantiæ ejus Hebr. I, 3. vocari, quoniam Gratiæ Dei autor est, & præcipuum exemplum, unde Gloria Divinæ Majestatis cognoscatur. Et Gloriam Dei ferè ubique eveniunt Apostoli, cum de Redemptione & Sanctificatione loquuntur. Quàm devotè enim Apostolus? & quàm distinctè idem? Eph. I, 3. sqq. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione Spirituali in Cælestibus, in Christo. -- Qui prædestinavit nos -- secundum propositum voluntatis suæ, in laudem Gloriæ Gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et post v. 11. 12. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, -- ut simus in laudem Gloriæ ejus, nos qui ante speravimus in Christo.* Idemque c. II, 8. aliorum Gloriam hinc prorsus excludit, *Gratiâ* inquiens, *estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur.* Ecclesia verò (2) deorsum, & ad ipsa sua membra primum conversa, laudat ea, & nominat *Opera Manuum Dei.* Hi fructus sunt Regenerationis, hic finis Novæ Creationis, quare plantata est, & unde consistit Ecclesia; quæ tamen itidem, atque ultimò tendunt in Gloriam Dei. Laudat Respubl. Cives, ob multitudinem ac bonitatem; Ecclesia

Fideles. Hinc statim in Actis Apostolicis c. II, 41. IV, 31. 32. nunc Multitudo Fidelium, ad Ecclesiam accedentium, nunc eorum Dona recensentur. Paulus quoque Eph. II, 10. *Ipsius, ait, sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Propter quod memores estote &c. Gaudiumque & Coronam suam appellat Phil. IV, 1. item Epistolam suam Commendatitiam, quæ sciatur & legatur ab omnibus hominibus, ab ipsis Apostolis ministrata, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, II. Cor. III, 2. 3. Quid ergò est, inquit LUTHERVS ad h. l. annunciari opera manuum Dei, nisi docere, veterem hominem crucifigi, & novum indui, mori Christo, & resurgere cum Christo, & sic impleri in nobis gloriam Dei? Ubi iterum vides, quàm brevi & apto verbo eloquatur Spiritus non solum Mysteria crucis Christi, sed & usum & beneficium ejus.*

## §. XVII.

Addit Psalmista (d) *Manifestationis hujus Continuationem Perpetuam, v. 3. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Creaverat Deus, cum ipso mundi initio, Luminaria in firmamento cæli, ad dividendum Diem ac Noctem Gen. I, 14. Idemque promiserat post Diluvium Gen. VIII, 22. *Cunctis diebus terræ --- & nox & dies non requiescent.* Cum ergò Davides etiam à Cælo Gratia incipisset orbis Ecclesiastici faciem, non potest non meminisse Dierum ac Noctium, sibi invicem perpetuò succedentium, Ecclesiamque, nullo servato interstitio, ex Matth. XVI, 18. haud unquam desituram, indicantium. Dependent enim in Ecclesiâ Dies & Nox à Cælo ac Firmamento, inservientibus Ministris, qui hîc subintelliguntur, prout in Orbe Terrarum inde prodeunt, & officio funguntur, ope Siderum seu Luminarium. Inde *Corona stellarum*



larum duodecim, Solis Lunæque Satellitum, Apoc. XII, 1. Quæritur ergo, quid per Diem, quidque per Noctem hic intelligatur. AMBROSIVS quidem Tom. II. p. 411. *Quis autem est dies cæli, nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: Dies diei eructat verbum?* At sic plures dies essent, pluresque Christi. LUTHERVS ad h. l. *Dies ipsi cæli, Apostoli, &c. quibus Dominus dicit Matth. V. vos estis lux mundi.* At cum lux vocentur, diem tamen vocari, non meminimus. Nos rectius videbimur sic sumere diem ac noctem, ut sumit Paulus Rom. XIII, 12. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* Et Petrus II. Pet. I, 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti, in caliginoso loco, donec dies elucescat.* Dies ergo hoc loco Illuminationes Fidelium juges, sibi que succedentes, designat, Gratiaque Divinae signa, nunquam non renovata; Nox autem altam Securitatem, Judiciaque Dei Occulta, imprimis apud Israëlitas; de quâ Rom. XI, 25. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia Cæcitas ex parte contigit in Israël.* Quippe qui ex uno malo in alterum incidebant. Atqui ibid. v. 11. 12. *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos emulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum.* Nec verò hinc excepti etiam Gentiles, ut Paulus Eph. V. 8. *Eratis aliquando tenebræ.* Ut ergo horum damno cauti fuerunt plures, dum tenebras aliorum occasionem potius illuminationis suæ, & devotionis ardentissimæ voluerunt, sic & exemplo aliorum laudabili multi ad Fidem Christianam aggregati sunt. Nempè quosdam fama de Conversione Pauli Act. IX. 31. quosdam restitutio Æneæ à Paralyfi ibid. v. 35. quos-

quosdam, imò plurimos, Resuscitatio Tabæe ib. v. 40. sapientiores reddebat, & ad credendum Evangelio alliciebat. Et sic statim ab initio Ecclesiæ Christianæ Dies Diei eructabat verbum, & Nox Nocti indicabat scientiam. Quod & deinceps & usque in hunc diem ita obtinuit. Quod enim Jeremias Thren. III. 22. 23. *Non defecerunt miserationes ejus, novi diluculo, multa est fides tua;* hoc merito de Gratiâ Dei, ejusque repetitione obtinet. Adeundem ferè modum GESNERVS, qui Noctem sumit pro *V. Testamento*, & temporibus *Pontificatus*, Diem pro *N. Testamento*, ac *Reformatione*. De Verbo & Scientiâ Thomas: *Tempus Diei, est tempus loquendi; & idè est tempus Verbi. --- Sed tempus Noctis, est tempus Meditationis; --- & idè est tempus Scientiæ.*

## §. IIX.

Tanta verò rerum mutatio, tamque illustris variarum nationum ad Ecclesiam accessio, non magis poterat latere, quàm Dierum ac Noctium vicissitudo per totum terrarum orbem. Quare etiam v. 4. *Manifestationis* hujus *Claritas* distincta innuitur: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et v. 5. ejusdem *Termini*: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In *Claritate* ergò (ε) non est hyperbole, sed loquelæ illæ & sermones proprio sensu, tam pro signis internis, quàm pro externis intelligi debent, ut mens autoris sit, nusquam de Salute Hominum dici vel cogitari, ubi efficaciam suam haud exerant Opera illa Gratiæ Divinae, vocesque per Ministros Evangelii edant distinctas. CHALDÆVS notanter: *לית מימר דתורעמתה ולית מלי דשגושא דלא; משתמע קלות;* *Nullum verbum strepitus ullius est, nec sermones ullius tumultus, ubi non audiantur voces eorum.* Nempe quod & *Materiam* præbeant, & *Adjumentum*. *Materiam*

teriam. (1) ostendit Christus in exemplo mulieris, unctio-  
 ne extremâ ipsum prosequenti, Matth. XXVI. 13. *Amen  
 dico vobis, ubicunque predicatum fuerit hoc Evangelium in  
 toto mundo, dicetur, & quod hoc fecit in memoriam ejus.*  
 Eademque ratio omnium, quotquot Gratia Divinae fa-  
 cti participes, & ad Ecclesiam converfi. *Adjumentum*  
 autem (2) indicat Christus Joh. XV. 5. *Sine me nihil po-  
 testis facere.* Et Paulus I. Cor. III. 6. *Ego plantavi, Apo-  
 llo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* Vnde, cum in  
 Orbem universum Apostolos suos ablegaret Servator,  
*Nolite, inquiebat, cogitare, quomodo aut quid loquamini:  
 dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.* Non enim  
*vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loqui-  
 tur in vobis.* Quare non sine causâ hîc notat LUTHERVS:  
*Obstruit versus hic os eorum, qui dicunt, Apostolos unâ lin-  
 guâ locutos Ebræâ, ceterum auditas ab aliis suas proprias.*  
 Loquelæ & Sermones non sonum tantum, sed Linguam  
 notam supponunt, si audiri debent. Cujus quoque ver-  
 bis ad *Terminos* vocum illarum (3) transimus, *Omitto,*  
*inquietis, hic questionem, quam aliqui movent, si ne hic ver-  
 bus completus, cum omnes gentes Evangelium audierint; fa-  
 cile hîc quisvis respondere poterit: In omnem terram exiit  
 sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Igitur  
 Termini ponuntur totus terrarum orbis, hujusque finis,  
 ad quos non sonus tantum, sed & verba penetrant. Quo-  
 modo *Versiones* ad vocem *¶*, quæ propriè significat  
*Canonem* aut *Lineam*, & quomodo sententiæ quoque de  
 Citatione hujus dicti in N. T. varient, memoravimus supra  
 §. II. Non opus est fingere, *¶* per errorem positum esse  
 pro *¶*, quippe quod verbum jam in precedente versu  
 penebatur, nec otiose proinde hîc repetitur. Verba verò  
*Linea* dici possunt, & ab ore exire, cum sonus exeat, tan-  
 quam

quam per lineam rectam, perque aërem feratur, ut docent, qui de Sono & Tubis Acusticis disserunt; prout radius solaris aut luminaris eum penetrat, postquam à suo principio exivit. Hinc phrasis illa etiam Jer. XXXI. 38. *וַיֵּצֵא קוֹמָהּ* Et exivit norma. Similitudine Lineæ à fulgure, Verbi, à tonitru Cœli desumptâ. Hinc ambo conjunguntur קוֹמָהּ & מַלְחָם, *Linea, & Sonus Articulus*; maximè propter Celeritatem quoque, & Vim illis accedentem, è Psalm. CXLVII. 15. 18. *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. --- Emitteret verbum suum, & liquefaciet ea; Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ.* Quæ causâ videtur Deum commovisse, ut per Tonitrua & Fulgura loqueretur, cum Legem daret in monte Sinai. Conf. Exod. XIX. 16. 19. XX. 22. Deut. IV. 36. Act. II. 2. 3. Ut ergò longè lateque exeunt fulgura ac tonitura, & intra momentum nihilominus cursum absolvunt, sic quoque prædicatum est Evangelium in universâ creaturâ, quæ sub cælo est, cujus se Paulus vocat *Ministrum*, Col. I. 23. Nempè juxta Mandatum & Adjumentum Christi Marc. XVI. 15. 20, Benè ergò observat B. LUTHERVS ad h. l. Paulum in allegatione hujus loci respicere ad Cælum, de quo è Deut. XXX. 12. ipse Rom. X. 6. *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? Quod est Sedes Sapientiæ ac Gratiæ Divinæ. Ideoque, Designat, inquit, ubi sonent isti cali. --- AUGUSTINVS hunc locum torquet in Donatistas, qui Ecclesiam in Africa angulum arcebant, sed multò magis torqueri debet in nostros novos Donatistas, qui negant in Judæâ & Perside & Asiâ esse fideles. --- Simul tamen eo verbo certa mensura significatur, quâ cujusque Apostoli ministerium disperitum est in orbem terrarum. Nec enim omnia potuerunt omnes. CALOVIVS ex AMBROSIO, ad Rom. X. 18. *Ubi predicantis hominis præsentia deficit, sonus tamen & fama pervenit,**

venit, sicut pervenerat opinio factarum virtutum in omnes gentes.

## §. IX.

Quod verò Sol in Cælo est, id Christus est in Ecclesiâ, totoque Gratiæ Divinæ Systemate. Nam de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & Gratiam pro Gratiâ. Lex enim per Moysen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est, Joh. I. 16. 17. Ideoque Pfalteres porro in eo est, ut paulò distinctius hunc Solem (\*) describat v. 6. & 7. In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsum procedens de thalamo suo. Exultavit ut gigas, ad currendum viam, à summo cælo egressio ejus, nec est, qui se abscondat à calore ejus. Quibus verbis notamus Appellationem, Habitaculum, Egressum, Cursum, Itern, & Vires. Scilicet (1) à Malachiâ c. IV. 2. promittitur Christus sub Nomine Solis: Et orietur vobis, timentibus nomen meum, Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus; Nam Regnum Christi, ac Ecclesiâ Christi, per Cælos, & ipse Christus per Solem depingitur, --- quia, juxta FLACIUM l. c. sub voce Solis; & illuminat omnes, & est verus ac primarius fons veræ justitiæ. --- Penne Solis radii vocantur, qui omnia sanant & vivificant. Sic Christus suâ spirituali & vivificâ vi omnia sanat, & vitalia facit. THOMAS l. c. Secundum rem significatam designantur Mystera Christi. LUTHERVS ad h. l. Regnum Fidei, in toto orbe dilatatum, intelligi. Sed hoc de tota Parte I. Psalmi dici potest. Hic verò potius de Christo Sermo est, Motum eidem præbente. Vicinum igitur huic est, cum idè Deus vocatur Sol & Scutum Ps. LXXXIV. 2. & in N. T. Luc. I. 78. Christus Oriens ex alto. Describitur quoque Apoc. I. 16. in Statu Exaltationis facies ejus quasi Solis, cum in vigore suo lucet. Et Matth. XVII. 2. Resplenduit facies ejus sicut Sol. Imprimis verò cum hoc Regno

gno Christi Gratia, & ejus præcipuâ substantiâ, concordat Apoc. XII. 1. ubi viso à Johanne *Mulier, amicta Sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* *Habitaculum* igitur hujus Solis monstratur (2) ut tantò constet accuratius. Ubi ab Hebræo abludit *Vulgata: In Sole posuit Tabernaculum ejus*; cum potius vertenda sint verba: *לשמש שם אהל ברם* *Soli posuit tabernaculum in illis.* THOMAS: *Litera Hieronymi habet: Soli posuit.* --- *Nostra autem litera habet: In Sole posuit.* Nempè in *Cælis & Firmamento*, de quibus paulò ante locutus erat. Vocatur ergò *Tabernaculum Christi*, (a) ut nominatur *Domus Patris ipsius Joh. XIV. 2. In domo Patris mei mansiones multe sunt*; scilicet ante *Incarnationem*. Et (b) post *Incarnationem*, quemadmodum est Apoc. XXI. 1. *sq. Et vidi cælum novum & terram novam. Primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est. Et ego Johannes vidi sanctam civitatem, Jerusalem, novam descendentem de celo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt.* Nempè *Sol iste*, cum in *Cælis*, *Gratiæ ac Majestatis Divinæ Sede*, *Es. LXVI, 1. habitet, & in principio apud Deum fuerit Joh. I. 2. nihilominus præsentiam suam Ecclesiæ suæ Firmamento non denegavit, sed habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre; plenus gratiæ & veritatis, Joh. I. 14.* Nec tantum quoad *Essentiam* utrobique præsto est, sed & quoad *Operationem*. Et *Egressus* (3) eò splendidior, quò magnificentior *Sedes ipsa*. De quo porrò: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Cum enim *Divina Majestas omnem intellectum superet, habitetque in luce inaccessibili, utpote quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest,*

I. Tim.

I. Tim. VI. 16. comparat cum *Thalamo* Habitaculum ejus. Et hoc pacto *posuit* etiam *tenebras latibulum suum*, in *circuitu* ejus *tabernaculum* ejus, Ps. XVIII. 12. Scilicet *Lux & Tenebræ* ejusdem hinc conditionis, nec sibi repugnant. *Sponsum* verò seipsum appellat Servator Matth. IX. 15. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* & c. XXV. 6. *Ecce sponsus venit.* Olim Salomo Cant. III. n. *Egredimini, & videte, filia Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis ejus.* Ut ergò Sponsus, è Thalamo procedens, omni ex parte ornatus est, ita pulcherrimus Christi, è gemino suo habitaculo, cœlesti, & firmamenti, egressus. De priori Mich. V. 2. *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* De posteriori idem v. 2. *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* De utroque Johannes c. I. 1. & 14. Et ipse Joh. XVI. 28. *Pater amat vos, quia --- credidistis, quia ego à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et quanquam exitus prior incredibilis, posterior ignobilis videretur huic mundo, reipsâ tamen, & in Regno Cœlorum nihil certius, nihil illustrius, nihilque magis admirandum est, vel videtur. Et hoc quoque propter Thalami, seu Umbraculi, in his terris Myſteria quamplurima. Apud Judæos quondam *חמורה* appellabatur non solum Thalamus, sed & *Umbraculum*, sub quo Neonymphi jungebantur, de quo vid. Diss. peculiaris CARPZOVII. Sic Divina & Humana Christi Natura in unâ Substantiâ combinatæ sunt, in Utero Materno, B. Mariæ Virginis. Quorsum respiciunt *Nuptiæ Filii Dei* Matth. XXII. 2. sqq. & Pauli illud Myſterium, de quo Eph. V. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesiâ.* Item Nuncium Angeli Luc. I. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur*

*scetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et effatum Apostoli I. Cor. XV. 47. *Secundus homo de celo celestis.* Cui geminus *Panis, qui de celo descendit* Joh. VI. 59. Malè verò THOMAS, tam contrà Literam, quàm contrà Veritatem: *In sole posuit, --- i. e. in beatâ Virgine, que nullam habuit obscuritatem peccati.* Unde postmodum error de de Immaculatâ ejus Conceptione. Pessimè INNOCENTIUS III. se Sponsum & Solem Ecclesiæ vocavit Sec. XIII.

## §. X.

Quàm splendidus ergò, quàmque felix hic Egressus, tam lætus quoque eum sequitur (4) *Progressus ac Cursus*, de quo Psaltes: *Exultavit ut Gigas, ad currendum viam.* Quicquid beatum est, hoc & lætum. Nihil verò beatius est, quàm Generatio Filii Dei ab Essentiâ Divinâ, ut constat è Ps. XVI, 5. 6. nihilque humano generi optatius, quàm Incarnatio ipsius Luc. II, 78. Igitur meritò exultare potuit, ut *Gigas*, Gemini Roboris, Geminæque Magnitudinis ac Substantiæ, Luc. I, 32. vel ut *Leo*, quemadmodum vocatur Ap. V, 5. Jer. IV, 7. fortisque & intrepidus opus Redemptionis subire. Sic ipse fatetur Ps. XL, 8. 9. *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Et Ps. XLII, 4. *Introibo ad Altare Dei; ad Deum qui letificat juventutem meam.* Cum Josua, Jesu typus, diluculo consurrexisset, ad occupandum muros urbis Jericho, septem Sacerdotes toridem tubis clangere jubebat, quarum in Jubileo usus erat, Jos. VI, 15. Sic etiam Christus prodiit è tenebris, vaticiniisque Prophetarum, & Apostolorum prædicationibus innotuit, mundum infernumque occupaturus. *Prælusit*, quando Deus Cælos præparabat, imaginibus variis ac typis *in orbe terrarum, & delitiæ ejus cum filiis hominum*, Prov. VIII, 31. Et in ipso opere, *non fuit tristis, neque*



neque turbulentus, donec posuit in terrâ iudicium, ut de eo vaticinabatur Esaias c. XLII, 4. Nam via illa vel Iter (5) longum quidem, ratione Efficiendorum, at brevi temporis spatio, summâque cum velocitate emetiendum. Vnde vates divinus: *A summo cælo egressio ejus: & occursum ejus usque ad summum ejus.* Quo designatur primùm Æternitas in Divinitate, tanquam initium, quâ relicta, semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. II. 8. Quod & ipse breviter suppeditat itinerarium Joh. XVI, 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Paulus Eph. IV, 10. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Et Petrus Act. X, 38. *Qui pertransiit bene faciendo, & sanando omnes, oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Denique (6) describuntur Solis Vires & Effectus: *Nec est, qui se abscondat à colore ejus.* Summa hæc Dei Gratia, super universum Genus Humanum extensa, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. III, 16. Ejusque Dona, tam Administrantia quam Sanctificantia, de quibus Eph. IV, 8. *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Et Johannes Baptista Matth. III, 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & Igni.* Quod completum in Apostolis primo die Pentecostes, post Christi Ascensionem, ut jam ante monuimus, §. VI. ubi de Magnalibus Gratia Divinæ, & §. VIII. ubi de Diversitate Vocum & Linguarum. De quo Act. II, 3. *Et apparuerunt illis dispersite lingue, tanquam ignis.* THOMAS tamen: *Multi autem possunt se abscondere, & non recipere Calorem Solis, sed Sol ex parte suâ se exhibet omnibus. Sic Spiritus S. effunditur ubique, & petit ab omnibus recipi, nisi aliqui se per malitiam abscondant.* Et hoc solis Iter Carmine eleganti, seu Hymno, completur AMBROSIVS:

Pro-

*Procedens de Thalamo suo,*  
*Pudoris aulâ regiâ,*  
*Gemina Gigas substantia*  
*Alacris ut currat viam.*  
*Egressus ejus à Patre,*  
*Regressus ejus ad Patrem,*  
*Excursus usque ad Inferos,*  
*Recurfus ad sedem Dei.*

Tresque illi Salus sunt Christi lætantis, è Sinu Patris in Uterum Virginis, de Utero Virginis ad Inferos, & ab Inferis ad Dextram Dei.

## §. XI.

Descriptâ nunc Ecclesiâ Novi Testamenti Facie, pergit Psaltes part. (II) ad Laudem *Verbi Divini*, in Ecclesiâ prædicati, à v. 8. usque ad II. *Multifariam enim multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in filio*, Hebr. I, 1. 2. Hoc ergò Verbum, & hæc Loquela est, ipsum *Evangelium* exhibens, *Libris Veteris ac Novi Testamenti* comprehensum, quod hoc loco David variis ornat Nominibus, totidemque etiam Attributis & Effectibus. Scilicet (a) appellat *Legem & Testimonium* v. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas: Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* *Lex* (1) est ordo quidam, qui ut in toto Regno Gratia Divinæ, jamjam descripto, sic & in Mandatis Divinis, juxtâ quæ Regnum illud consistit & administrandum est, obtinet, tam quod ipsam Legem Moralem, homini inditam, Rom. II, 15. & in monte Sinai promulgatam, Ex. xx, 1. quàm quod Fidem, ejusque Justitiam, concernit. Proinde *Lex* quoque dicitur tota S. Scriptura à Davide Ps. cxix, 92. hujusque Interpretatio, Ef. II, 3. *De Sion exhibit Lex, & verbum Domini de Jerusalem.* In specie verò *Evangelium* Rom.

Rom. III, 27. *Vbi est gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non; sed per Legem Fidei.* Nihil maculae in hac Lege, aut quod emendandum sit. Si enim opera Naturae Dei omnia bona sunt, Gen. I, 31. quanto magis opera Gratiae; ubi itidem illud obtinet populi, Christo acclamantis Marc. VII, 37. *Benè omnia fecit.* Hinc *Perfecta* juxta Textum Hebr. & secundum Vulg. *Immaculata* nominatur, cum Ordini nihil magis conveniat, quam Perfectio, & Scripturae S. Sufficiencia inde comperat, tanquam Attributum; de quo alias seorsim. *Effectus* verò Scripturae, qui κατ' ἐξοχήν dicitur de Evangelio, est, quod *convertat animas*, scilicet ad Salutem. Est enim *Virtus Dei, in salutem omni credenti*, Rom. I. 16. & *animabus requiem* dat, Matth. XI. 29. Deinde quoque (2) dicitur *Testimonium Fidele, Sapientiam dans parvulis.* Testatur enim de Voluntate Dei, testatur de Amore ejus in homines, testatur de Mediis, quibus Ecclesia in his terris conservetur, hujusque membra Salutis Aeternae fiant participes. Si ergò *testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, & tres sunt, qui testimonium dant in terrâ: Spiritus & Aqua, & Sanguis: & hi tres unum sunt*, 1. Joh. V. 8. 9. Fidele enim seu Verum est hoc Testimonium, quia *Fidelis est Deus*, I. Cor. X. 13. *Et abundantius volens Deus ostendere --- immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per duas res immobiles, quibus impossibile est, Deum mentiri, solatium habeamus fortissimum*, Hebr. VI. 17. 18. Quare etiam Christus de se ipso Joh. XII. 37. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Cumque *Consilium Dei* de Salute nostrâ involvat, secundum Actor. XX. 27. *Sapientissimum* illud sit, oportet, & Sapientes reddat, qui ei perhibent fidem. Unde Paulus I. Cor. II. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non*

D

hujus

*hujus seculi. Et v. 7. 10. Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. --- Nobis autem Deus revelavit per spiritum suum. Nimirum Parvulis, ut inquit David, h. e. stultis mundi, uti Paulus I. c. quæ elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirmis mundi, quæ elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilibus mundi, & contemtilibus, I. Cor. I. 28.*

## §. XII.

Porro quoque *Justitiæ* appellantur, secundum Versionem LXX. Interpretum, *δικαιοσυαντα*, at secundum Textum Hebræum, פקודים *Præcepta*, vel *Regula*, & מצוה *Mandatum* seu *Commissum*, v. 9. *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et *Justitiis* quidem vel *Præceptis Rectitudinem*, & vim lætificandi, *Præceptis* seu *Mandatis*, *Lucem*, & vim illuminandi tribuit Psalmista. Si sequamur Textum Authenticum, *Præcepta* hæc (3) sunt, quæ cuiquam præscribuntur instar *Linearum*, aut *Regularum*, juxta quas ipse pergat. Hinc laudantur à *Rectitudine*. Nec abit ab eo *Spiritus Sanctus*, in illo monito Paulino Phil. III. 16. *In eadem permaneamus regulâ.* Et Gal. VI. 16. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Quibus congruit illud vaticinium Davidis de Christo Ps. XLV. 7. *Virga directionis virga regni tui.* Quod verò *rectum* & *elegans*, hoc delectat, unde vis lætificandi competit *Præceptis*, longè major, quàm *Machinæ* *eleganti* & *accuratæ*. Sic Apostolus Rom. VII. 22. *Condelector enim Legi Dei, secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quod si quoque *δικαιοσυαντα* LXX. Interpretum cuiquam magis placeant, ut hos etiam interdum plusquam Hebræum sequuntur Scriptores Sacri, *Justis* de causis adducti, applicet illud Paulinum Rom. I. 17. de

de Evangelio: *Iustitia enim Dei in eo revelatur, ex fide in fidem.* Quod B. LUTHERVM dies noctesque, ut ipse scribit Præf. ad Tom. I. Jen. Lat. diu tenuit meditandum, cum ante ægrè intellexisset, tandem autem, cum vim ejus cognovisset, ad incipiendam Reformationem adegit. *Mandatum* id est, (4) quod alicui ex autoritate injungitur, committiturve, Officii causa; ubi cessat libertas, secus, atque in Consiliis. Ut sunt Decalogi Mandata. Proinde Apostolus Rom. IIX. 12. *Ergò, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus.* Et Servator Luc. XVII. 10. *Cum feceritis omnia, --- dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Nempe pro jure Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Efferuntur ergò Mandata à Luce, quia quod mandatur, dilucidè mandari debet, aliàs impleri nequit. In Hebr. est בררה *Limpida, Clara*; uti Cant. VI. 10. בררה כדומה *Nitida ut Sol.* Unde rectè LXX. τηλαωγίης *Splendens procul.* Vulg. *Lucidum.* Hanc lucem Moses addebat Mandatis Divinis Deut. xxx. 11. 12. *Mandatum, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* Et Petrus II. Ep. I. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucerne, lucenti in caliginoso loco.* Quare etiam Mandati Effectus hîc est, quod illuminet oculos. Per Oculos indicatur Intellectus, quo Verum à Falso, Bonumque à Malo, cum utrumque cognovimus, discernimus, Causasque applicamus. Hoc pacto Christus Matth. VI. 22. 23. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. --- Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergò lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Ideoque Paulus pro Ephesiis, ita se testatur apud Deum intercedere, Eph. I. 16. 18. *Memoriam faciens (ego) in orationibus meis, ut Deus --- det vobis Spiritum*

*tum Sapientiae & Revelationis, in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes &c. Et David Pf. XII. 4. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiscam in morte.*

§. XIII.

Jam verò etiam *Summam Verbi Divini* Generalem iisdem ferè Elogiis, iidemque maectat Attributis, v. 10. 11. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi; judicium Domini vera, justificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & favum.* Qualis enim Lex talis Summa. Quæ duplex hic est. Nempè (a) *Timor Domini.* Scilicet *Radix omnium virtutum, cujus rami longævi sunt,* Sirac. I, 25. *Sapientiaeque initium,* Prov. I, 7. unde etiam fideles denominat Abrahamus Gen. XX, 11. Qui enim verè metuit Deum, eundem amat, eidemque obsequitur, & totis viribus adhæret. Quare Deum *Timorem* Isaaci, patris sui, appellat Jacobus Gen. XXX, 42. & Præceptis Dei singulis *Timor Dei* subternitur à LVTHERO, in Cat. Utroque. conf. Eccl. XII, 13. *Sanctus* igitur nominatur *Timor Dei,* seu *Purus,* secundum Hebræum, cum *Lex* ipsa sit *Sancta, & Mandatum Sanctum,* Rom. VII, 12. *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septruplum,* Pf. XI, 7. unde est; & sanctificet hominem, quò tendit. Ita II. Cor. VII, 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Quo ipso simul discernitur à *Timore Servili,* qui *non est in charitate,* I. Joh. IV, 18. & *Hypocritico,* de quo Pf. LIII, 6. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Attributum ejus est *Æternitas.* Quemadmodum paulò ante dixerat v. 8. *Testimonium Domini Fidele, hoc est, verum & constans, sic & Timor, & Obedientia eidem*  
præ-

præstita. Cum in Abstracto, siquidem hoc pacto alter-  
nat cum *fide*, *spe*, & *charitate*, quæ permanent, I. Cor.  
XIII, 13. tùm in Concreto, uti est in Ps. XXIV, 13. *Quis*  
*est homo, qui timet Dominum? anima ejus in bonis demora-*  
*bitur, & semen ejus hereditabit terram.* Summæ partem (b)  
Verbi Dei constituunt ejus *Judicia*, dilaudata a veritate,  
justitiâ, bonitate, & dulcedine. *Judicia Domini*, torum  
ejus procedendi modum cum homine, prout illum in ver-  
bo suo revelavit, exhibent, quo nunc *Bonitate*, nunc  
*Severitate* utitur: *in eos qui ceciderunt, severitate, in*  
*te autem bonitate, si permanseris in bonitate*, Rom. XI, 22.  
His certè nihil verius, de quibus Apostolus l. c. illud: *Vi-*  
*de.* Et Rom. II, 2. *Judicia Dei secundum veritatem.* *Re-*  
*velatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem &*  
*injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ*  
*detinent*, Rom. I, 18. *Existimas ergò hoc ô homo, qui ---*  
*facis ea, quia tu effugies judicium Dei? --- Ignoras, quoniam*  
*benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* c. II, 3. 4. Igitur  
per se dicuntur justificari. Hebr. יָדוּר יָדוּר *Justa sunt simul;*  
h. e. cum Veritate, de qua dixerat. Ut enim non possunt non  
esse Vera, vi Veritatis Divinæ, ita quoque necesse est, Justa  
esse, propter Justitiam Divinam. Unde cum hac conjungun-  
tur Ps. CXIX, 137. *Justus es Domine, & rectum judicium*  
*tuum.* Et Justitia Dei nititur ejusdem præcipuè Sapien-  
tiâ, quâ scit, suum cuique tribuere. Hinc Auro & Gem-  
mis cariora sunt Psalmistæ. Chaldæus illud פָּרַת vertit per  
אֲבִרְזִיז *Obryzum*, quod LXX. & Hieronymus reddunt  
*Lapidem pretiosum.* Quid præstantius est auro, quid homini  
utilius? & quid est, quod potius hinc desideretur? etiam se-  
cundum styllum Scripturæ, & ex opinione sapientum, Matth.  
II, 11. Sed *Judicia Dei*, imprimis in Christo Servatore, per  
*Severitatem* juxtâ ac *Benignitatem* ejus manifestata, longè

superiora, & hinc longè magis desiderabilia, secundùm Davidem, vel appetenda. *Non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis, inquit Petrus I. Ep. I. 18. 19. sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, Christi.* Hinc ipse Servator pauperi Laodicensium Angelo, Apoc. III. 18. *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias. Et gemma gratis-sima expectatio prestolantis est, quocunque se vertit, prudenter intelligit, Prov. XVII, 8.* Sed & eadem Judicia non pretio solum, sed & jucunditate suâ eminent, & ideo fatiant appetitum, plus quàm *mel & favum.* Aurum & obryzum conjunxerat, majoris emphaseos causâ; quare conjungit etiam *mel & favum.* In quâ si vel summitatem virgæ peccatorum nostrorum cum Jonathane, e. I. Sam. XIV, 26. intingamus, orique admoveamus, dici nequit, quantum inde non os modò ac lingua, sed & oculi, quin totum corpus nostrum excitetur, ipsique animæ præsentissima adhibeatur medicina. GESNERVS: *Addit etiam saporès, præcipuâ suavitate jucundos, mel & favum, à quibus homo nullus excipitur, etiamsi continens esse videatur.*

## §. XIV.

Non sufficit autem Davidi, laudâsse Verbum Domini, ejusque extulisse Virtutes, nisi & ipse (III) monstrat suo, aliorumque Fidelium Exemplo, quo pacto ad id instituentium ab ipsis sit *Examen.* Nempe in hoc occurrit Professio Observantiæ, Infirmi-tatis, Desiderii, ac Fidei. Proficitur Psalter (a) *Observantiam* v. 12. propter Virtutes Verbi enumeratas Necessariam, qui respectus mutuus involvitur per Particulam *etiam, non minus, propterea;* quam Vulgatus effert per: *Etenim; Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Servum Deise appellat, ceterosque Regni Gratia Civis; de quibus ideo  
fic



fic differit Paulus Rom. VI. 15. sqq. *Quid ergò? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obediuntis ad justitiam? --- Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Servi Dominum, ejusque Mandata prætolantur; ideoque David: נודר ברהם *Admonetur, imò custoditur illis, sibi que cavet attentè, & inde eminere vel fulgere studet.* Sic apud Ezech. III, 21. נודר לאסףת sich sagen/ nûnt sich tu acht. Ubi meliori vocabulo studium observandæ legis divinæ, hujusque contra vim dirigendi & efficaciam, vix exprimere potuisset. Sed addit etiam Motivam: *In custodiendis illis retributio multa.* Pariter ac si dixisset: *In quibus custodiendis.* Quâ Christus etiam discipulos ad Tolerantiam Malorum, propter ipsum ac justitiam sustinendorum, & ad Lætitiam in his, excitat Matth. V. 11. sqq. *Beati estis, -- gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Sed ne quis putet, Mercedem hanc sibi deberi, memorem (β) esse vult David *Infirmi- tatis suæ v. 13. Dilecta quis intelligit?* In Hebræo est: שגיארת *Delicta;* non quælibet, sed Occulta, & improvisò commissa, ideoque tam frequentia, ut nec ante actum, nec in ipso actu, nec post actum cognosci, aut appeti, multò minus enumerari queant.

CASSIODORVS: *Quæ omnimodò ignoramus, quorum nec origines possumus, nec surreptiones agnoscere.* De his Prov. XXIV. 16. *Septies cadet justus, & resurget.* Et Paulus Rom. VII. 7. *Concupiscentiam nesciebam.* Et v. 18. *Quod enim operor, non intelligo: non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed, quod odi malum, illud facio.*

## §. XV.

Nec tamen hæc sufficit Agnitio, nisi (γ) accedat *Desiderium duplex, Liberationis & Præservationis, de quo eod.*

eod. v. *Ab occultis munda me: & ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati. Occulta* (1) sunt, non quæ in Occulto committuntur, utut contrâ Conscientiam sint; quale illud Davidis II. Sam. XVII. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum illud in conspectu omnis Israel: sed quæ, licet omni cautione adhibitâ, quæ in hac vitâ à re-natis adhiberi potest, nihilominus committuntur & igno-rantur. Ad quæ primò quidem pertinet Peccatum Ori-ginis, quod quomodò nobis imputeretur, nullius hominis ra-tione intelligi potest, ut est in Art. Smalc. P. III. Sed & alio sensu etiam Actualia. Quorum similitudinem Lothus præ-bet, qui non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando sur-rexit, Gen. XIX. 33. Testimonium, Paulus I. Cor. IV. 4. Nullius rei mihi conscius sum: sed non per hoc sum justifica-tus. Et AUGUSTINVS: Si videntur tenebræ, intelligun-tur etiam delicta. Definitionem & Exempla, D. KORT-HOLT Disp. de Peccatis Occultis, Kil. 1678. §. IIX. & XIIIX. Ab his liberari cupiunt Fideles cum Davide, non quidem, ut non sint in hâc vitâ, sed ne impudentur aut regnent. Ita Rom. IIX. 1. *Nihil ergò nunc damnationis est in illis, qui sunt in Christo Jesu. Et c. VI. 14. Peccatum in vobis non do-minabitur. Quin cum Apostolo vitam ideo optant melio-rem, seu Futuram, Rom. VII, 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! Aliena autem* (2) in Hebr. appellantur חַטֵּי, i. e. Peccata Superbie vel Contu-macia, à quibus rogat David, se præservari à Deo. Vulgatus: *Ab alienis; qui* חַטֵּי *videretur supponere, cum Verfione LXX. Interpretum, ἀπὸ ἀλλοτρίων, reddentium. Ubi aliena inusitata & majora indicare possunt. Ab alienis vel gravioribus, parce, inquit, servo tuo. Si mei non fu-erint dominati. Pareit hîc Deus dum peccata avertit, ut Gen. XX, 6. Custodivi te, ne peccares in me, & non di-*  
*missi**

*missi, ut tangeres eam.* Sed quod semper id haud fiat, in culpâ sunt homines, in contrarium nitentes. Matth. xxiii. 37. *Quoties volui, --- & noluisti?* & Act. VII. 51. *Semper Spiritui S. resistitis.* Dumque non resistunt, servi Dei sunt. Unde David: *Servo tuo.* Nec dominatur peccatum. Unde idem: *Si mei non fuerint dominati.* Rectius juxta Hebræum: *Ne dominantur in me.* Scilicet ne Spiritum subigat Caro, aut Legem Mentis Lex Membrorum, nec Habitus malè agendo nascatur, quem Paulus appellat *Diaboli laqueos, à quibus captivi teneantur, aut ipsius voluntatem,* II. Tim. II. 26. in quibus regnet peccatum. Unde idem Rom. VI. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.*

## §. XVI.

Huic ergò desiderio suo (δ) denique annectit *Fidem Sacrificam*, quæ est Unum illud necessarium, sine quo nemo civis est Ecclesiæ, aut subditus Christi. Hæc (1) pro *Objecto* habet *Justitiam*, quæ coram Deo valet, his verbis expressâ v. 14. *Tunc immaculatus ero.* Hebr. : תמים תה תunc perfectus ero; vel à Form. antiqu. תמים vel pro תמים in Niphal, compensato Dagefch in תמים per Epentheticum. Perfectio ergò, quam Deus à nobis requirit Matth. V. 48. *Estote -- perfecti;* & Justitia illa, Synonyma hîc sunt. Quæ non nostra, --- sed illa, quæ ex fide est Christi Jesu, quæque & ex Deo, Phil. III. 9. & Dei, Rom. IV. 21. & coram Deo dicitur v. 20. Deinde & (2) *Emundationem* à peccatis etiam gravioribus v. 14. *Et emundabor à delicto maximo.* Nihil est, quod hîc excipiat. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato,* I. Joh. I. 7. *Et si fuerint peccata nostra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur,* Es. I. 18. Scilicet ut hoc solatio sit cuique peccatori, ne desperet, quod si abundaverit delictum, super abundet gratia, Rom. V. 20. (3) Fides hæc respicit *Gratiam Dei*, Justificationis non solum atque Emundationis hujus, sed & *Certitudinis Causam.* Confidit ergò Pfalteres, imò rogat, & optat, totum se, quantus etiam fit, Deo

E

gratum

gratum fore, v. 15. *Et erunt, ut complacent eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Incipit à Verbis, definitque in ipsis Meditationibus; simul verò Facta sua quælibet intelligit, dum à Spiritu Sancto, & in nomine Jesu producuntur ac diriguntur, prout fit in justificatis. Verum omninò est dictum illud cæci Joh. IX. 31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Cum quo convenit Apostolo Rom. II. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et v. 14. *sq. 26. 27. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, non sunt filii Dei. --- Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, (Pater.) --- Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro Sanctis.* Conf. Gal. IV. 6. Joh. XVI. 23. 27. Cumque id omne fiat propter Christum, Fidem suam in eundem præcipuè dirigit, clauditque his verbis v. 15. *Domine adjutor meus, & Redemptor meus.* Hæc enim duo Epitheta Servatori præcipuè conveniunt. *Adjutor meus:* Hebr. *צור* *Petra mea.* *Petra autem erat Christus,* I. Cor. X. 4. *Spiritalis* nempe illa, unde omnes bibebant; etiamsi non in pluribus eorum beneplacitum esset Deo. Scilicet propter Infidelitatem, quâ lapis fit offensionis, & *petra scandali, his, qui offendunt Verbo, nec credunt, his verò, qui credunt, lapis & caput anguli,* I. Petr. II. 7. 8. Qui reverà optimus ad quævis Bona, quin ad ipsam Salutem Æternam, adjutor est. *Redemptor* autem à Malis. Hebr. *גורל*, ut eum appellat Jobus c. XIX. 25. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit.* Et post eum Esaias c. LIX. 20. *Et venerit Sion Redemptor, & eis, qui redempti ab iniquitate, in Jacob, dicit Dominus; quod vaticinium disertè ad Christum refert Paulus Rom. XI. 26. Redemit enim nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* Gal. III. 13.

## §. XVII.

Elicimus hinc tandem Doctrinam præcipuam, quod & Auspicia & Finis Ecclesiæ N. Testam. neminem à se excludant. Patet omnibus Cælum; sic & *Gratia Dei* Salvatoris nostri *omnibus hominibus*, Tit. II. II. Firmamentum per orbem Universum extenditur; ita & Ecclesia. Unde *congregabit* Christus *electos suos à quatuor ventis, à summo terra, usque ad summum cæli*, Marc. XIII. 27. Conf. Matth. VIII. II. Act. X. II. 34. Huc & Dies & Nox, & Sonus Cæli, & Firmamenti, & Voces, & ipse denique Solis Curfus, Æstusque collimant. Quod non æquè conspicuum sub V. Test. De quo Es. LIV. I. & ex hoc Gal. IV. 27. *Multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.*

## §. XIX.

At, iniquis, Tempora Ignorantiæ nondum desierunt, sed testantur contrarium. Quomodo enim sonus vel levissimus eò penetrare potuit, ubi Christum, ubi Deum ignorant? Respondemus igitur, à Gratiâ Dei Universali ad ejus Agnitionem Universalem, item à Prædicatione Evangelii ad Fidem omnium, non valere consequentiam; ut nec ab Amplitudine Cæli & Firmamenti, ad eandem Dei Notitiam. Hoc enim illud dubium erat, cui jam suâ ætate occurrebat Paulus, cum de Propagatione Evangelii per Orbem universum disserteret, Rom. X. 14. sqq. *Quomodo, inquit, audient, sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: (Es. LII. 7.) Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: (c. LIII. 1.) Domine, quis credidit auditui nostro? -- Sed dico: Num quid (ideò) non audierunt? Imò verò in omnem terram exiit sonus eorum. Cum ergò non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum Rom. I. 28.*

## §. XIX.

Nobis verò nihilominus convenit Mandatis Christi obtemperare Matth. XXIII. 19. *Euntes docete omnes gentes. --- docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ideò enim Legem suam vel

Verbum nobis dedit, ut Materiam simul inde caperemus, ac Normam, quibus ad Ecclesiam colligeremus totius orbis incolas. Agit nos, quoque Aura Cœlestis Gratia, ut tanquam Sidera cum ipso Cœlo in orbem circumeamus, agit Firmamentum, quod expandamus, agit ipse Sol, quem sequamur, quoque incalescamus. Si quis vel *nonaginta novem oves* possideat, *relinquat eas in deserto, & oberrantem unam* quærat, sique vel decem servet drachmas, lucernam accendat, domum everrat, & quærat diligenter, donec perditam inveniat Luc. XV. 4. 7. 8.

## §. XX.

*Va, tamen, vobis, Scriba & Pharisei, hypocrita: quia circuitis mare & aridum, ut faciatis unum Profelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò, quàm vos. Va vobis, duces cæci!* Matth. XXIII. 15. Non juvat vos bona intentio, non juvat, quod non aliter fitis edocti, non juvat denique, quod cum pluribus seculi vitia videamini amplecti. Hæc enim illa vestra delicta sunt, quæ non intelligitis, hæc occulta illa sunt, è quibus haud unquam liberabimini, donec agnoscatis, & cum Davide deprecemini: *Ab occultis munda me, & à superbis custodi, ne dominantur.* Munda me, per Christi sanguinem, non per Opera aut Merita, Custodi per Spiritus tui Gratiam, non per proprias vires, vel industriam, ne & inter nos dominium obtineant, quæ pro peccatis non habemus, ut inter Judæos, ad quos Christus Luc. XXII. 53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sed hæc quomodò fieri debeant, quomodò propagari cum successu Evangelium, ne plus noceamus, quàm proficiamus, recenset in Disp. suâ Theol. I. de Propagando Evangelio, ed. Lips. MDCCXVII.

## §. XXI.

Hoc ergo præstantissimum nostrum Solatium erit, quod si cum Davide Mandata Dei, Auro certè cariora, sub auspiciis Auræ Divinæ, & summâ cum diligentia custodiamus, minora deprecemur, & majora delicta vitemus, certi esse queamus, quod & eloquia nostra & meditationes Deo complacent, & multam hinc retributionem in Cœlis habituri simus. Hæc enim illa Bona sunt, quæ nobis reparavit Christus *Novi Testamenti Mediator*, hic scopus Cœlestis *Ministerii*, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, quàm ministerium Moysis Hebr. XIII. 6. Hoc *Manna* servati sunt patres, non Moysis, Joh. VI. 32. Hoc *potu* refecti, quotquot ad eum ducti per Moysen, I. Cor. X. 4. Hæc *gratia servati*; & nos eadem *Jesu Christi gratia servari credimus*, Act. XV. 11.

94 A 7376

ULB Halle  
003 263 55X

3




Reho

VO 17

Mi. 50.









1.24 25

PSALTES PROPHETA  
DE  
**A V S P I C I I S**  
**E C C L E S I Æ**  
NOVI TESTAMENTI  
*AD PSALMVM XIX.*

---

PRÆSIDE  
**JON. CONR. SCHRAMMIO**  
THEOL. D. ET PROFESSORE PVBL.  
ORDINARIO  
RESPONDENTE  
**GEORG. JACOB. REDECKERO**  
OSTERODA-HANNOVER.  
*IN ACADEMIA JULIA*  
A. MDCCXXVII. D. XXIII. IVL.  
DISP. THEOL.  
ILLVSTRATVS.

---

*HELMAESTADII*  
LITERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.